

2. Atqui saltem principium identitatis supponit; dist.: quoad originem — conc.; quoad necessitatem et firmitatem, subd.: supponit inadaequate — conc.; sed nego suppositum; nam principium identitatis per se inutile est; supponit adaequate — nego, vel potius, est idem ac principium identitatis positive et negative sumptum et ad usum logicum applicatum.

3. Atqui principium contradictionis non est ultimum, quia non innotescit nisi per ideas claras et distinctas; porro per conscientiam; dist.: ut per conditionem — conc.; tanquam per rationem formalem certitudinis — nego.

4. Atqui evidenter videtur esse ratio formalis certitudinis; ergo est principium prius; dist.: est ratio formalis certitudinis principio contradictionis intrinseca, ab ipso non distincta — conc.; est ratio ab ipso distincta ac proinde veritas praecedens hoc principium — nego.¹⁾

Caput II: De diverso statu entis.

§ 1. De actu et potentia.

*Notio et divisio*²⁾: Ens potest inveniri in dupli statu: *possibilitatis* et *existentiae*; priore modo vocatur ens in *potentia*, altero ens in *actu*. Significatio haec translata est a facultate physica operandi, quae, priusquam operatur, dicitur esse in *potentia* ad actum producendum, quando vero operatur, dicitur in *actu* esse. *Potentia* igitur significat capacitatem existendi, *actus* autem ipsam *existentiam*.

I. *Potentia* ($\deltaύ\alpha\pi\mu\ς$) distinguitur *objectiva* et *subjectiva*.

a) *Objectiva* est rei *nondum existentis* capacitas ad *existentiam*, et vocatur etiam *idealisa*, *logica*, *metaphysica*, quia non existit, nisi in mente, et significat, rem in se non repugnare (Widerspruchlosigkeit, innere Möglichkeit). Dicitur *objectiva*, quia non est in *subjecto* aliquo, sed est *objectum actionis productricis*.

b) *Potentia subjectiva* est capacitas rei *existentis* ad aliquid; si est capacitas ad aliquid efficiendum, vocatur *potentia activa* (e. g. *intellectus objectum percipiens*), quae iterum est vel *naturalis* vel *supernaturalis*, prout actio viribus naturae purae vel elevatae perficitur. *Potentia subjectiva* vocatur *passiva*, si est capax ad aliquid recipiendum (e. g. *intellectus determinatione ad intelligendum indigens*), sive est *perfectio* sive *privatio aliqua*. Etiam haec dividitur in *naturalem* et *obedientialem*, prout est disposita ad perfectionem mere *naturalem* vel *supernaturalem* (vel in se vel saltem quoad modum) recipiendam.

II. *Actus* ($\epsilon\nu\epsilon\gamma\epsilon\alpha$, $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$) proprie definiri nequit, quia est *notio simplex et primum*, quod in omni cognitione, licet indirecte,

¹⁾ Vide alias difficultates veterum: Heracliti, Anaxagorae, Democriti Empedoclis etc. apud s. Thomam et Alamannum III, p. 38.

²⁾ Cfr. Arist. metaph. lib. IX. totus.

simil apprehendimus. Est in eo, ut compleat potentiam. Distinguitur in genere: a) *actus essendi* sive *existendi*, qui opponitur potentiae *objectivae* (semper *passivae*), cui *existentiam* tribuit; et *actus formalis*, qui rem totam (e. g. *hominem*) vel partem determinantem *essentiae* (e. g. *animam*) constitut.

b) Uterque *actus iterum* dividi potest in specie: 1^o ratione *termini* seu *potentiae complendae*: in *substantialem*, qui rem in esse *substantiali*, i. e. simpliciter constituit (*substantia generata vel creata*), et *accidentalem*, qui rem in esse *accidentis* constituit; (et hic *actus accidentalis iterum* dividitur: a) secundum novem genera *accidentium*; b) in *essentialiem* (e. g. *intellectus*, *voluntas*) et *accidentalem* (e. g. *actus intelligendi*); γ in *naturalem* et *supernaturalem* (*gratia*).

2^o Ratione *subiecti*: in *actum sui*, qui ens in se completum continit (non *accidens*, neque *formam*, neque *materiam*, neque *partem*), et *actum alterius*, qui *potentiam subiectivam alterius rei* compleat vel *physice*, ut *anima corpus*, *actus substantiam*, vel *metaphysice*, ut *differentia genus*. Patet igitur, *actum accidentalem* semper esse *alterius*; *actum autem substantialem* posse esse et *sui* et *alterius*; *omnis actus alterius* etiam aliquo modo est *sui*, quia propria *entitate* constat.

3^o Ratione *dependentiae*: a) in *actum primum*, qui constituit vel totam *substantiam*, vel *potentiam activam ipsam*; (et distinguuntur iterum *actus primus remotus*, qui est *nuda potentia subiectiva nondum ad operationem expedita et determinata*; et *proximus*, qui est *potentia ad actum determinata*); b) et *actum secundum*, qui est *ipsa operatio*.

4^o Ratione *perfectionis*: in *actum purum*, qui potentialitatem excludit, et *non purum*, qui potentialitatem non excludit. *Actus purus*, qui *omnem potentialitatem excludit*, est solum ens a se, i. e. *Deus*. *Omnia entia creata*, finita sunt *actus magis vel minus non puri*; (nam *omnia sunt in potentia ad actus novos accidentales (naturales vel etiam supernaturales potentia obedientiali)*; deinde res *materiales* sunt in *potentia ad actum novum substantialem (mutatio chimica)* et ad non-esse; *entia omnia composita* saltem ad non-esse per *physicam dissolutionem partium*; *entia simplicia* saltem *metaphysice ad non-existentiam*, quae omnes potentialitates ab Ente supremo excluduntur).

III. Relatio inter potentiam et actum sive mutatio.

1. *Notio*: *Transitus a potentia ad actum non immediate a nobis apprehenditur*, sed solum ipse effectus, i. e. *actus productus a potentia vel in potentia subiectiva receptus*; unde percipimus, quandam *mutationem esse factam*, quae in genere definitur: *transitus entis ab uno modo se habendi ad alium*. In quo transitu nunc non conside-

ramus causam, cuius sit effectus, neque rationem dependentiae, sed rationem *formalem*. Tria igitur in mutatione reali distinguenda sunt: *subjectum mutationis*, *terminus a quo*, *terminus ad quem*. *Subjectum* est ipsa potentia, in qua fit mutatio; *terminus a quo* est status, in quo versabatur potentia; *terminus ad quem* est status novus mutatione productus. Uterque terminus potest considerari vel *totalis*, i. e. potentia simul cum suo statu, vel *formalis*, i. e. status ipse potentiae.

2. *Divisio mutationis*: Mutatio est a) *positiva*, si quid producitur (e. g. calefactio); est *negativa*, si quid destruitur (corruptio quaevis); b) *substantialis*, si substantia (e. g. generatio), *accidentalis*, si accidens producitur; c) *instantanea*, si effectus non eget tempore (actio mere spiritualis); *successiva*, si eget tempore (omnis motus materialis).

3. *Ratio formalis mutationis* est in quodam fieri, i. e. in transitu ab uno modo se habendi ad alium; unde distinguitur ens in fieri et in facto esse et quidem realiter, sed inadaequate in actione successiva, e. g. statua in fieri et in facto esse. In actione autem instantanea status fieri a facto esse non realiter, sed solum ratione distingui potest. (Deinde fieri a mutari ratione distinguitur, quia fieri potius terminum ad quem, mutari terminum a quo significat. Si transitus non fit a potentia *subjectiva*, sed ab *objektiva*, i. e. physice non existente, dicitur aliquid fieri ex *nihilo sui et subjecti*: ex *nihilo sui*, quia aliquid novi fit, quod antea non erat, et hoc commune est omni actioni; ex *nihilo subjecti*, quia *potentia subjectiva* nulla praecedebat, quae actionem reciperet, sed sola potentia *objektiva*; et per hoc ille transitus distinguitur ab omni alio. Haec actio sui generis, quae est improprie mutatio, vocatur *creatio*, et soli Deo competit.)

4. *Axiomata de actu de potentia*: (a) *Potentia activa non dividitur contra actum*; sed potentia activa in hoc axiomate formaliter sumenda est ut actus purus. *Potentia passiva dividitur contra actum*, quia est realis distinctio. (b) *Potentia specificatur per actum*; i. e. in ordine *ontologico* potentia ad actum ordinatur ut medium ad finem saltem proximum et ut causa ad effectum, et in ordine *logico* eius existentia et natura ex actibus cognoscitur; sed hoc axioma non valet nisi de sola potentia passiva, neque de obedientiali. (c) *Potentia non deducitur ad actum, nisi per ens actu*; patet ex principio causalitatis. (d) *Nulla potentia est frustra*; supponitur potentia *subjectiva naturalis*. (e) *Nulla est potentia passiva, cui non respondet activa*; sed valet de solo ordine physico et de actu in genere; secus esset *creatio necessaria*, neque voluntas libera. (f) *Actus est prior potentia*; sed distinguendum est, in quo ordine sit actus. In ordine

logico certe actus prius cognoscitur in cognitione *directa*, si quidem requiritur determinatio ex parte obiecti existentis; in cognitione vero reflexa intrinseca rei possibilitas sufficit. In ordine *ontologico* actus quidem in *genere* est prior potentia; sic Deus actus purus debet esse omnium primus; sed in *ordine creationis* potentia obiectiva praecedit existentiam rerum, et in operationibus rerum contingentium potentia etiam *subjectiva* praecedit actum.

(IV. Existencia potentiarum, actuum, mutationis.)

1. *Existunt potentiae obiectivae*: Fuerunt, qui negarent potentiam ullam obiectivam, i. e. posse quidquam fieri, quod non iam esset; et hoc quidem omnes tum Materialistae Deum negantes, tum omnes Pantheistae omnia cum Deo confundentes debent affirmare, si volunt sibi esse consentanei. Alii vero putant, nihil esse impossibile, ita ut omnia ex quacunque re fieri possint; et hoc Darwinistae et Transformistae, negantes essentiam rerum immutabilem et veritatem absolutam, statuere debent. — Nos quid de hac re sentiendum sit, in quaestione de possibilibus exponemus: possibilia esse quidem infinite multa, sed esse in se absoluta et immutabilia.

2. *Existunt potentiae subjectivae*: Cum Herbart multi¹⁾ statuunt, non esse ullam potentias, sed non existere nisi substantias semper in actu secundo positas; vel ut actualistae, non esse nisi actus physice puros²⁾; vel non existere nisi ad summum potentias passivas, ut occasionalistae. Alii ex opposito putant, substantias ipsas non esse nisi collectionem attributorum et qualitatum, ut Locke, Hume, Mill, Benecke, unde omnia in potentias seu vires quasdam resolvunt. Nos vero suis locis ostendemus, et substantias existere et praeditas esse viribus seu potentii tum passivis, tum activis.

3. *Existunt actus tum substantiales, tum accidentales, actus sui et alterius, actus purus et actus non puri*. Pantheistae quidem putant, unam solam substantiam universalem existere, cuius omnes res sint emanationes (Neoplatonici, Gnostici, Scotus Eriugena, Giordano Bruno) vel evolutiones immanentes (Schelling, Schopenhauer) vel manifestationes obiectivae (Eleatici, Spinoza, Paulsen) vel subjectivae (Fichte) vel tandem entis determinationes inter se identicae (Hegel). Atomistae vero materiales sicut et Herbart admittunt quidem substantias (atomos, monades, reales), sed negant accidentia realia. Denique confundunt actum purum et non purum, statuentes quidem ens aliquod absolutum (absolutum Ego — Fichte; absolutum Indifferentiam spiritus et naturae — Schelling; absolutum Ens — Hegel; absolutum voluntatem — Schopenhauer; absolutum inconscium —

¹⁾ Cfr. Müller, System der Philosophie, p. 200. ²⁾ l. c. p. 17.

E. v. Hartmann), sed prorsus indeterminatum, physice nihil. Nos vero suo loco probamus, existere non solummodo substantias et accidentia et actus non puros, sed esse etiam actum purissimum, infinite in se determinatum, qui est Deus optimus maximus.

4. *Existit mutatio*, i. e. fieri tum ex nihilo sui, tum ex nihilo sui et subiecti. *Heraclitus* putavit, omnia in continuo fluxu esse nihilque obiective fixum; quem Hegel secutus, inde principium contradictionis negavit. Idem fere statuunt *Darwinistae* et *Transformistae* (Mill, Spencer), nihil absoluti admittentes. Alii e contra nil fieri posse arbitrantur saltem motu locali, transeunte, quin principium contradictionis destruatur, ut *Eleatici* et *Herbart*. — Nos vero ostendemus, corpora esse praedita activitate propria, et multa fieri tum motu locali, tum mentis activitate; immo etiam actionem creativam neque in se neque ratione causae neque ratione terminorum repugnare.

§ 2. De essentia rerum.

1. *Notio*: Considerantes ens aliquod individuum, e. g. Petrum, possumus abstrahere primum ab eius existentia, deinde a notis individuis, quibus differt ab omnibus aliis hominibus. Hac abstractione peracta habetur id, quod Petro commune est cum reliquis hominibus, neque potest quidquam amplius abstrahi, quin natura humana Petri pereat. Unde ratio obiectiva hac abstractione formata vocatur *essentia rei*, et definitur *id, quo res est id quod est* (*τὸ τι ἦν εἶναι*),¹⁾ et quo ab omnibus aliis rebus diversae naturae distinguitur. Haec igitur ratio essentiae est transcendentalis, sicut ratio entis, neque solum substantiis, sed etiam accidentibus convenit, idque sicut ratio entis, modo analogico.²⁾ (Porro quum conceptibus nostris essentiam rerum plus vel minus perfecte percipiamus, conceptus essentiae in genere i. e. imperfectus est omnino primitivus et fundamentalis, ita ut per alios conceptus definiri non possit; designat enim ipsum esse rei intrinsecum. Neque bene essentiam rei definiunt, qui eam dicunt complexum esse proprietatum vel determinationum praecipuarum; nam determinatio supponit rem determinandam, sicut proprietas subiectum cuius sit; praecipua autem determinatio, si concipitur ut essentialis, iam rei essentiam supponit cognitam; si autem mere accidentalis intelligitur, non iam essentia rei exprimitur. — Quum essentia sit ratio, cur ens aliquod in specie certa constituantur, vocatur etiam *forma rei* eaque intrinseca et essentialis ad analogiam formae externae accidentalis. Porro essentia rei est *fundamentum et principium* proprietatum, quae in re inveniuntur, necnon actionum, quae

inde proficiscuntur. Propterea essentia vocatur etiam *natura rei*, i. e. eius principium operandi¹⁾

2. *Divisio essentiae*: Essentia secundum substantias, in quibus primario inest, distinguitur: a) *ratione modi concipiendi*: *abstracta*, quae solum formam metaphysicam exprimit (humanitatem), et *concreta*, quae subiectum forma indutum exhibit (homo); b) *ratione universalitatis*: *individua*, quae uni soli convenit (Petrus) et exprimitur conceptu singulari; *universalis*, quae ad inferiora expresse refertur et exprimitur conceptu reflexo; *absoluta*, quae abstrahit tum ab individualitate, tum ab universalitate neque exprimit, nisi comprehensionem (definitionem); exprimitur conceptu directo; c) *ratione constitutionis*: *physica*, quae essentiam exhibet, sicut physice existere potest, i. e. continet partes essentiales physicas simul cum proprietatibus necessariis (e. g. homo est substantia ex corpore et anima composita, intellectu et voluntate libera et immortalitate praeditus); et *metaphysica*, quae abstrahit a physica et essentiam exhibet, sicut in sola mente existit, i. e. solas notas essentiales per genus proximum et differentiam specificam (e. g. homo = animal rationale); d) *ratione status*: *actualis*, quae essentiam existentem, et *possibilis*, quae non existentem, sed in ordine proximae possibilitatis constitutam, i. e. in se individuam exprimit.

Thesis VII: Rerum essentia physica actualis ut talis contingens est atque mutabilis, metaphysica autem est intrinsecus immutabilis, necessaria, aeterna, atque a nobis, licet imperfecte, vere tamen cognosci potest.

St. qu. 1º Essentia physica actualis ea est, quae existit modo individuali; metaphysica est, quae abstrahit ab existentia et individuatione, neque exprimit nisi rei notas essentiales; patet, eam formaliter non existere nisi in mente nostra, et exprimitur per conceptum reflexum, ita tamen ut habeat fundamentum in re ipsa (cfr. critic., p. 340 sq.). Loquimur de essentia rerum finitarum.

2º Si affirmamus, hanc essentiam metaphysicam esse immutabilem, necessariam, aeternam, has qualitates ei non tribuimus positive, (tanquam rei existenti; reicimus enim formas illas rerum aeternas, immutabiles, essentiales et substantiales, *per se existentes*, quas Plato statuit.) Neque illas proprietates rerum essentiis tribuimus *absolute*, sicut Deo, sed potius negative. Affirmamus igitur, intrinsecus repugnare, essentiam rei aliam fieri ac revera est e. g. hominem posse aliquando vel alicubi non esse animal rationale, circulum posse fieri quadratum etc.²⁾

¹⁾ S. Thom. I. c. c. 1; porro S. Theol. III, qu. 2, a. 1; I, II, qu. 10, a. 1.

²⁾ Cfr. Mercier, Psychologie, 1905, II, p. 24 sq.

¹⁾ Arist. Metaph. VII (VI) 7: λέγω δύοδιαν ἄνευ ὅλης τὸ τι ἦν εἶναι. ²⁾ S. Thom. De ente et essentia, c. 2.

(3^o Adversantur nobis, a) *Evolutionistae*, ut Spencer, Darwin etc., qui rerum naturam continue mutari putant (cfr. crit. p. 367 sq.); b) *Empiristae*, *Sensistae*, *Positivistae*, qui nos rerum naturam cognoscere posse negant. (Cfr. critic. p. 250 sq.)

I. *Rerum essentia physica actualis ut talis contingens est atque mutabilis.*

Prob. Ex eius conceptu: Essentia physica actualis ut talis est ea, quae existit idque modo individuo. *Atqui* a) potest per se etiam non existere, immo aliquando non exsttit, et aliquando forte non existet, vel alio modo existet; sic plantae, bestiae, homines oriuntur et moriuntur; (b) potest diversis accidentiis determinari, crescere, decrescere etc., licet natura ipsa eadem permaneat, e. g. homo idem in infancia et senectute.) Ergo revera essentia physica actualis ut talis est contingens atque mutabilis.

II. *Essentia metaphysica est immutabilis, necessaria, aeterna.*

Prob. 1. Ex eius conceptu: Essentia metaphysica ea est, quae abstrahit ab omni rerum existentia et individuatione, neque continet nisi notas omnino necessarias, sine quibus res concipi nequit. *Atqui* haec essentia debet esse: a) *intrinsecus immutabilis*; secus enim non iam esset eadem essentia, sed alia,¹⁾ e. g. si homo non esset animal vel rationalis, non iam homo esset, sed vel spiritus purus vel brutum; b) *necessaria*; c) *aeterna* ex eadem ratione. Ergo . . .

(2. *Ex eius natura:* Essentia metaphysica est immutabilis, necessaria, aeterna, si omnes causae mutabilitatis, contingentiae, temporeitatis etc. desunt. *Atqui* essentia metaphysica abstrahit ab existentia; non igitur exprimit nisi notarum identitatem permanentem earumque mutuam sociabilitatem, intrinsecam non-repugnantiam. Quod autem non existit, quod est in statu possibilis, non potest esse terminus mutationis physicae. Porro quod est possibile, per se ubique et omni tempore fieri potest, dummodo adsit causa efficiens. Denique quod abstrahit ab omnibus notis individuantibus, i. e. accidentibus logicis, quae possunt adesse et abesse salva rei essentia, nulli mutationi iam subesse potest. Ergo . . .

Neve dicas, has proprietates in sola mente nostra abstrahente essentiae convenire; nam mens nostra non arbitrarie abstrahit tum ab existentia, tum ab individuatione rerum finitarum, si quidem earum finitas et contingentia ipsa est ratio ontologica, cur talis abstractio liceat (cfr. critic. p. 340 sq.).

3. *Ex eius fundamento:* Res sunt imitationes divinae essentiae, modo quidem finito et imperfecto, ut infra thesi XVII. ostendemus. *Atqui* essentia divina est immutabilis et aeterna. Iam vero essentia rerum physica, actualis ut talis contingens est atque mutabilis.

¹⁾ Cfr. S. Thomam, Metaph. lib. 8, lect. 3.

Ergo saltem essentia metaphysica debet esse aeterna, necessaria, immutabilis.

4. *Ex veritatibus universalibus:* Sunt veritates necessariae, immutabiles, aeternae; e. g. veritates mathematicae ($2 + 2 = 4$), logicae etc. *Atqui* non possent tales esse, nisi quid necessitatis etc. in rebus ipsis esset; nam cognitio nostra non facit, sed supponit objectum suum, illaeque veritates non solum subjective, sed obiective sunt verae. Iam vero vidimus, essentiam physicam, actualem ut talem esse contingentem atque mutabilem. *Ergo* saltem essentia metaphysica debet esse immutabilis, necessaria, aeterna, ut sit fundamentum illarum veritatum universalium.

5. *Ex absurdis:* Essentia metaphysica ea est, quae de omnibus rebus eiusdem speciei, etiamsi non existant, eodem modo praedicari potest. *Atqui* si esset intrinsecus mutabilis et contingens ratione temporis et spatii, non posset iam certo neque eodem modo praedicari: a) *non de rebus existentibus*, quia nesciremus, num, quando et quomodo sit immutata, ac proinde non iam certum iudicium neque vera scientia de rebus existentibus esse posset; b) *non de rebus possibilibus*, quae ut talia nullam mutationem subire possunt et a ratione loci et temporis prorsus abstrahunt, ac proinde cum essentiis rerum, ex suppositione immutatis, non iam congruerent. Quare ne mathematicae quidem scientiae, quibus tamen omnes intrinsecam tribuunt immutabilitatem et necessitatem, certae esse possent. Ergo essentiae rerum metaphysicae sunt immutabiles, necessariae, aeternae.)

III. *Essentia rerum metaphysica imperfecte quidem, vere tamen a nobis cognosci potest.*

1. *Non est perfecta cognitio* essentiae rerum metaphysicae; nam (a) multarum rerum essentiam non cognoscimus, sive quia nos omnino latent, sive quia solum earum apparentiam, proprietates accidentales, effectus cognoscimus, e. g. natura gravitatis, lucis, electricitatis, aethoris etc.; b) naturam rerum non per modum intuitionis immediate, sed per modum abstractionis vel per modum conclusionis i. e. mediate ac proinde imperfecte cognoscimus. (Cfr. critic. p. 366.)

2. *Veram tamen possumus habere essentiae metaphysicae cognitionem.*

Prob. 1. Ex natura scientiae¹⁾: Habemus veram multarum rerum scientiam e. g. mathematicae; (immo adeo gloriantur progressu, quem nostris temporibus scientiae, praesertim naturales, fecerint. Scientia autem est cognitio rerum per causas suas, saltem proximas. Causae autem rerum proximae sunt earum naturae; sic natura humana est causa actuum nostrorum cognoscendi et volendi, natura trianguli,

¹⁾ Cfr. S. Thomam apud Cosm. Alamannum I, qu. 28, a. 1, p. 305 sq.

circuli est ratio omnium illarum veritatum, quas mathematica de triangulis et circulis statuit.) Atqui nulla est scientia, quae non supponat aliquas veritates necessarias, saltem summa principia et axiomata. Iam vero res, in quantum sunt contingentes et individuae, non possunt esse fundamentum veritatis necessariae. Ergo in ipsis obiectis debet esse aliquid immutabile et necessarium, sc. earum natura metaphysica, quae a nobis cognoscitur.

(2. *Ex veritatibus necessariis* (Argumentum praecedens sub alia ratione): Sunt veritates necessariae, inmutabiles, aeternae e. g. mathematicae. Atqui veritas est conformitas mentis nostrae cum obiecto; actus autem nostri cognoscendi sunt contingentes et mutabiles et obiectum suum supponunt, non efficiunt. Ergo in ipsis obiectis debet esset aliquid necessarium, quod est obiectum cognitionis nostrae; hoc autem non potest esse rerum existentia contingens neque qualitates physicae mutabiles. Ergo debet esse earum essentia saltem metaphysica.

3. *Ex experientia externa et interna*: Constat, nos saepe optime distinguere inter illud, quod rebus essentiale est, quod non; e. g. quod essentiam constituit naturae humanae; in quo differimus a brutis; bene scimus, quomodo substantia et accidens, vita organica et motus localis differant; optime cognoscimus veritates mathematicas: essentiam trianguli, circuli, indeque innumera deducimus theorematum certa; physici cognoscunt pondus specificum, calorem specificum elementorum, leges combinationis chimicae, quibus corpora (e. g. aqua ex oxygenio et hydrogenio) constituuntur vel dissolvuntur.

4. *Ex logica*: Logica non est lusus mentis, sed docet, quomodo rerum essentia metaphysica definiatur. Atqui haec definitio, licet fiat per genus proximum et differentiam specificam, tamen fundatur in rerum natura; immo supponit claram eius ac distinctam perceptionem, quae habetur per reflexionem mentis ontologicam et logicam in conceptus primitivos ex sensatione abstractos. Ergo possumus rerum essentiam saepe clare et distincte percipere.

Errat igitur Locke¹⁾ cum Empiristis et Positivistis, si distinguens inter essentiam nominalem (ut loquitur) per genus et differentiam specificam determinatam, et essentiam realem, qua res intrinsecus constituantur, illum figmentum mentis habet, hanc autem nobis incognitam esse affirmat.)

§ 3. De essentia et existentia.

(1. *Notio*: *Essentia* rei est id, quo res intrinsecus constituitur. Iam vero essentia potest considerari in ordine metaphysico, i. e. tanquam mere possibilis, neque solum in abstracto et universalis, sed in concreto et individualis. Haec autem essentia concreta individualis

¹⁾ Locke de intell. hum. III.

nondum ex se existit, nisi est essentia divina, quae ex se habet necessariam existentiam. Creata vero et finita essentia individua possibilis indiget, ut ad existentiam ducatur, ut ponatur etiam in ordine *physico*.

2. *Quaestio*: Quodsi essentia seu natura individualis in ordine *physico* iam est constituta, quaestio oritur, utrum haec essentia physica per causam suam extra nihilum iam posita eo ipso etiam existat, an indigeat adhuc realitate seu modo aliquo reali, quo habeat existentiam; aliis verbis: quaeritur, utrum realis sit distinctio inter essentiam individualem *physicam* eiusque *existentiam* necne. (Unde non est quaestio, num sit distinctio realis inter essentiam individuum *possibilem* et *existentem*; hanc enim tanquam realem negativam omnes concedunt; neque quaeritur, num sit metaphysica distinctio, eaque perfecta, inter essentiam *physicam* et eius *existentiam*, quam iterum omnes admittunt; sed num sit realis distinctio inter essentiam individualem *physicam* et eius *existentiam*.)

3. *Opiniones*: Thomistae plerique, paucis (Soto, Hervaeo, Lepidi) exceptis, duce Cajetano defendunt realem distinctionem; Scotistae in genere, quibus accedunt multi ex Societate Jesu philosophi, ducibus Alexandro Halensi († 1245), Henrico Gandavensi († 1293) et Suaresio († 1617) solum virtualem (perfectam metaphysicam) statuunt. (Rationes plus minus convincentes ab utraque parte afferuntur, utraque pars provocat ad S. Thomam, quin tamen quaestio certo solvatur.¹⁾

I. *Contra realem distinctionem* adducunt inter alias has rationes praecipias²⁾, quas tamen adversarii distinguentes refutare sibi videntur:

1. Essentia *actualis* sua propria entitate existit, quia per eam nihilo opponitur; dist.: nihilo opponitur ratione *essentiae specificae* — conc.; ratione *existentiae*, subd.: tanquam potentia subiectiva — conc.; tanquam actus, iterum dist.: incompletus quoad existentiam — conc.; completus quoad existentiam — nego. Possunt provocare ad materiam primam, quae est etiam potentia subiectiva et extra nihil, non tamen eo ipso existit. Habet in se etiam aliquam rationem actus, sed *incompleti*, unde indiget compleri per formam, ut habeat actum completum existentiae.

2. Existentia realiter ab essentia distincta aut existit per suam entitatem, aut non. Si primum, non est ratio, cur non etiam essentia possit per suam realitatem existere; si alterum, haec realitas existentiae iterum indigeret alia existentia, ut actuaretur, ac proinde in infinitum esset progredendum, quod est absurdum.

Resp. 1º Nego disiunctionem, et addo membrum omissum: aut existit per suam entitatem propriam incomplete (tanquam forma actuans potentiam subiectivam essentiae), non autem complete nisi in et cum essentia physica.

Resp. 2º Dist. minorem: I p. Si existentia realiter ab essentia distincta existeret per suam realitatem tanquam actus completus — conc.; cum ex se

¹⁾ Cfr. Limburg, Quaest. metaph. p. 105 sq. Schiffini, Princ. phil. p. 621 sq.

²⁾ Cfr. Frick, Ontolog. p. 46.

solum existat tanquam actus incompletus essentialiter distinatus ad essentiam physicam tanquam potentiam subiectivam complendam et actuandam — nego.

Dist. II p. Si existentia per suam realitatem neque complete neque incomplete existeret, indigeret alia iterum existentia — conc.; quum ex se sit actus existendi incompletus essentialiter destinatus ad essentiam physicam actuandam, ut cum ipsa simul constitutus actum completum — nego.

Et potest exemplum adduci formae tum substantialis, tum accidentalis, quae ex se neque perfectam existentiam neque completam speciem constituit, sed requirit materiam sive primam sive secundam tanquam potentiam subiectivam, in qua forma simul perfecte actuatur. Neque vero ideo forma illa, licet per suam realitatem in ratione et existentiae et speciei habeat aliquam actualitatem, quamvis imperfectam, alia iterum forma indiget, qua actuatur.

II. *Pro reali distinctione* existentiam inter et essentiam has potissimum adducunt rationes:

1. Nisi esset realis distinctio, res existent, sicut Deus ipse, per suas essentias; dist.: per suas essentias *metaphysicas*, sicut Deus — nego; per suas essentias *physicas*, subd.: necessitate absoluta — nego; necessitate hypothetica (posita productione seu creatione) — conc.

2. Natura physica se habet ad existentiam ut potentia ad actum; dist.: sicut potentia obiectiva ad actum — nego; sicut potentia subiectiva ad actum, subd.: sicut potentia subiectiva *activa* ad actum — conc.; sicut passiva, iterum dist.: logice — conc.; physice — nego.

3. Essentia et existentia habent praedicata opposita: illa est aeterna immutabilis, necessaria; haec vero contingens etc. Ergo sunt realiter distincta. *Dist.*: essentia *metaphysica* (possibilis) et existentia habent praedicata opposita — conc.; essentia *physica* et existentia — nego.

4. Atqui essentia physica semper eadem est, existentia vero est omni momento alia.

Dist. I. p. essentia physica semper est eadem, in rebus compositis — nego; in simplicibus, subd.: intrinsecus — conc.; extrinsecus (quoad statum accidentale) — nego.

Dist. II. p. existentia omni momento est alia; dist.: in compositis — trans., in simplicibus, subd.: extrinsecus (status accidentalis) — trans., vel conc.; intrinsecus — nego.

5. Atqui tunc res, sicut non possunt amittere suam essentiam, ita neque suam existentiam amittere possent; dist. I. p.: non possunt amittere suam essentiam metaphysicam — conc.; *physicam*, subd.: ex se — nego; per accidens (per Dei conservationem) — conc.

Dist. II. p.: non possent amittere suam existentiam, quin simul amitterent naturam physicam — conc.; ita ut simul amittant naturam metaphysicam — nego.

6. Atqui tunc res per essentiam suam physicam existentes essent actus puri, dist.: si nullam haberent compositionem sive physicam sive metaphysicam — conc.; quum multiplicem habeant compositionem tum physicam (partes reales rerum compositarum, actus reales rerum simplicium), tum

metaphysicam (essentia et existentia, natura et suppositum, ex genere et differentia specifica) — nego.

III. *Quod auctoritatem S. Thomae attinet*, difficile est dicere, quis meliore iure ad ipsum provocet. Si opus. 30 de „Ente et essentia“, c. 5 et praesertim „Contra Gentiles I. II, cc. 52—54 perpendimus, quid S. Thomas statuerit, melius et facilius videtur intelligi in sententia Thomistarum.¹⁾ Sed saepe difficillimum est, decernere, utrum Doctor angelicus illis locis de essentia physica an metaphysica loquatur; et si de physica sermo est, utrum distinctionem realem, an solum metaphysicam inter essentiam physicam eiusque existentiam statuerit. Unde totam quaestionem utpote difficillimam et subtilissimam in dubio relinquimus, et quamvis Suaresii sententiam praeferamus, potius cum Dominico Soto²⁾ fatemur: „Non est res tanti mimenti, hanc distinctionem aut concedere aut negare, dummodo non negetur differentia inter nos et Deum, quod esse sit de essentia Dei et non sit de essentia creaturae“.

§ 4. De possilibus.

1. *Notio et divisio*: Possibilia ea vocantur, quae possunt esse, unde idem significant, quod potentia obiectiva. *Sensu lato* possibilia comprehendunt et res existentes et res possibles; proprio autem sensu *possibilia* vocantur ea, quae non existunt, existere tamen possunt; et hoc sensu nunc possibilia intelligimus.

Iam vero rerum possibilitas distinguitur *intrinseca* et *extrinseca*. *Intrinseca* est sociabilitas (Widerspruchslosigkeit, innere Möglichkeit) seu non-repugnantia notarum sive qualitatum, quibus res possibilis in se constituitur, e. g. circulus aureus. Haec possibilitas *intrinseca* vocatur etiam *metaphysica seu absoluta*, quia essentiam rei afficit. Metaphysice igitur impossible est, quod *intrinsecam* repugnantiam includit. *Extrinseca* possilitas est capacitas ad existendum per causam aliquam efficientem externam; et haec est *absoluta* in Deo, qui omnia possibilia producere potest; *relativa* in creaturis, quae plus minus efficere possunt. Haec possilitas *extrinseca* vocatur etiam *physica*. Proinde physice impossible vocatur, quod a nulla causa creata fieri potest. Utraque autem possilitas *intrinseca* et *extrinseca* simul sumpta constituit possilitatem *adaequatam*. Nobis vero potius de possilitate *intrinseca* tractandum est.

¹⁾ Cfr. Schiffini, I. c. p. 625, qui ipse realem statuit distinctionem inter essentiam et existentiam; item De Maria, philos. perip.-schol. I, 441 sq.; Remer, Summa prael. phil. schol.; Stöckl, Lehrbuch d. Philosophie⁷, II, 16 sq.; Mercier, Ontologie³, 109—136; Mancini, Elementa philosophiae, 1898, I, 265 sq.; Alamanus, III, qu. 23, a. 3. Cfr. de quaestione historica Schindel, Zur Geschichte der Unterscheidung von Wesenheit und Dasein in der Scholastik (Phil. Jhrb. 1901, p. 196.)

²⁾ Lib. praedic. de subst. qu. 1.